



1080045734

SECTIO I^a

DE LAICIS.

507. — I^o Qui sint laici qui juri canonico subjiciuntur?

Laici, a verbo Græco λαός quod populum significat, in triplicem classem, quoad sanctiones canonicas, distinguuntur, scilicet infidelium, catechumenorum et fidelium. Inter laicos baptizatos, alii sunt orthodoxi qui veram fidem catholicam profitentur; alii heterodoxi, seu hæretici qui erroribus contra fidem catholicam ab Ecclesia proscriptis adhærent; alii schismatici, qui ab unitate Ecclesie recesserunt; alii demum apostatae, qui fidem christianam abjuraverunt.

Exponendum est igitur utrum et quatenus infideles, catechumeni, et fideles subjiciantur juri canonico.

508. — I. *Infideles* dicuntur, stylo juris canonici, qui baptismum non suscepserunt, nec ad illum suscipiendum præparantur. Ecclesia habet quamdam jurisdictionem in infideles, quatenus accepit a Christo Domino officium annuntiandi ubique veram fidem et omnes homines adducendi ad religionem. Habet proinde in omnes gentes ministerium prædicationis quo, jure sibi proprio, fungitur. Non habet vero in eosdem infideles potestatem legislativam, nec coercitivam; siquidem non sunt membra societatis christianæ. In societate civili, subjectio oritur per nativitatem, liberi enim statum et conditionem patris sequuntur;

per pactum, seu receptionem hominis qui sui juris est; et per domicilium, seu habitationem: in societate autem christiana, subjectio non aliter oritur quam per nativitatem spiritualem quæ sacramento regenerationis efficitur. Quamdiu proinde homo sacramentum Baptismi non suscepit, remanet extra corpus Ecclesiæ, potestati in Ecclesia constitutæ non subjectus. Ita sentiunt communiter doctores catholici, quorum doctrinam confirmat concilium Tridentinum in decreto ubi dicitur: « Ecclesia in neminem judicium exercet qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt judicare. » (Sess. XIV, cap. II.) Non aliis igitur mediis potest homines qui foris sunt ad se attrahere, quam doctrina, patientia et precibus; obligatio enim cui omnes homines subduntur credendi Evangelio, fidem catholicam profitendi, non innititur jure canonico (quis unquam talia audivit?), sed jure divino.

Nonnulli qui voluerunt jurisdictionem coercitivam Ecclesiæ protendi in infideles, citaverunt, uti argumenta suæ sententiæ faventia, bella sub vexillo crucis suscepta contra Mahumetanos, et leges quæ in Corpore juris, sub titulo DE JUDEIS ET SARRACENIS includuntur; sed nihil ex bellis nec ex canonibus adductis concludendum. Bella contra Mahumetanos et Sarracenos non fuere actus jurisdictionis ecclesiasticæ; haberri potius debent exercitium juris naturalis, quod christianis certe inerat, arcendi barbariem gentium exterarum quæ Europæanas regiones invadere conabantur, et recuperandi terram sanctam ab iisdem gentibus injuste usurpatam... Legislatio de judæis partes diversas complectitur: sunt decreta quæ Princeps sæcularis tulit ad ordinandum conditionem, seu statum civilem judæorum qui sub sua ditione morabantur; sunt insuper canones ab auctoritate ecclesiastica prolati, quibus Christifideles vetantur judæorum consortio uti, eis ullum magistratum in societate demandare, ancillas ex illa gente assumere, et alia id genus quæ Pastores periculosa Christifidelibus judicaverunt. Canones qui videntur

judæos directe afficere, vel etiam poenis coercere, Ecclesia tulit ut se suaque jura tueretur a perfidia inimicorum.— Delicta infidelium « de jure communi coerceri debent, ait Schmalzgrueber, « non ab Ecclesia, quippe cuius jurisdictioni spirituali non sub- « jiciuntur, sed a Principibus et magistratibus in quorum terri- « torio degunt. » (In tit. DE JUDEIS, n° 56.)

309. — II. *Catechumeni* (a voce Græca κατηχέω, docere) dicuntur qui ad baptismum disponuntur proxime, ac præparantur per gradus tirocinii christiani. Quamvis non adhuc accenseantur membris Ecclesiæ, nec subdantur illius potestati legislativæ, quandoquidem non adhuc initiati sunt sacramento fidei, quadam ratione continentur legibus canoniciis, veluti candidati Ecclesiæ, quæ præfinire potuit quoniam ritu admitterentur in statum catechumenatus, quibus exercitationibus instruerentur doctrina christiana, et moribus christianis informarentur, quamdiu perduraret experimentum ut convenienter disponerentur, quibus tandem pœnitentiis obnoxii forent qui graviora peccata, tempore probationis, commisissent. Hujusmodi ordinationes, quamvis non habeant rationem legis proprie dictæ erga catechumenos, sunt tamen conditiones auctoritate legitima constitutæ iis qui volunt in societatem christianam admitti.

310. — III. *Fideles*, qui scilicet baptismum suscepérunt, nec a fide christiana per hæresim, aut apostasiam defecerunt, subjiciuntur juri canonico communi, vi baptismi; et statutis localibus ab auctoritate competenti sancitis, ratione domicilii, seu habitationis.

Nulla movetur difficultas inter doctores catholicos circa principium generale subjectiōnis juri communi; de jure particulari locorum, quoad peregrinos et advenas, alibi dicitur (n° 243, 656, 757.) Quædam notanda in præsenti pro adultis qui baptismum suscipiunt, pro infantibus fidelium qui a parentibus ad baptismum offeruntur, et tandem pro infantibus infidelium, qui insciis parentibus baptizati fuerint.

1º Adultus non initiatur sacro baptismate nisi libera volun-

tate consentiat; est enim religionis christianæ regulis contrarium quod quis invitus compellatur ad recipiendam fidem. Quinimo, is qui nedum consentiat, penitus contradicit, « nec rem, nec characterem recipit sacramenti, » ut dicitur in cap. *Majores*, 5., DE BAPTISMO. Eam ob causam sanctus Gregorius Magnus admonuit illos omnes qui exoptant perducere extraneos ad fidem christianam, ut *blandimentis, non asperitatibus studeant*. Cum vero, temporibus ætatem Gregorii subsecutis, nonnulli hujus discipline immemores, et zelo non secundum scientiam concitati, vellent judæos vi et metu perducere ad professionem fidei christianæ, alter Romanus Pontifex, Clemens III, id severe auctoritate apostolica prohibuit: « Statuimus ut nullus invitatus vel nolentes judæos ad baptismum venire compellat. Si quis autem ad christianos, causa fidei confugerit, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, christianus efficiatur; quippe fidem Christi habere non creditur, qui ad christianorum baptismum, non sponte taneus, sed invitatus cogitur pervenire. » Hæc est lex constantissima pro adultis: sicut enim homo liberi arbitrii voluntate periit, sic, vocante gratia Dei, propriæ mentis conversione salvatur. (*Distinct. XLV, cap. Qui sincera, 3; de Judæis, 5.—Cap. Sicut judæi, 9, DE JUDÆIS ET SARRACENIS, lib. V Decretalium.*)

2º Parvolorum alia est conditio. Recens nati e parentibus christianis ad baptismum offeruntur, juxta traditiones catholicas quas theologi in tractatu *de Baptismo* vindicant contra errores sectæ Anabaptistarum. Hæc agendi ratio summopere utilis est puerulis, ut vel ab ortu liberentur a noxa originali et gratia sanctificante exornentur. Animadvertisendum est insuper, baptismum ita collatum non alias obligationes pueris imponere quam quæ jure divino omnibus æque imponuntur, adeo ut si puer baptizatus non fuisset, teneretur ipse sacramentum postulare, statim moraliter ac legem divinam esset sufficienter edoctus.

3º Pueros infidelium qui remansuri prævidentur sub patria potestate, cum fidei discrimine, baptizari vetat Ecclesia, si invitati sint parentes; imo parentibus etiam consentientibus, nisi pueri vergant in proximum periculum vitæ; quia prudentia christiana non sinit ut conferatur sacramentum in ea conditione qua moraliter certum est illud profanandum fore, quando pueri sic baptizati adoleverint. Ita responsum Episcopo Quebecensi a S. Congregatione Inquisitionis refert Benedictus XIV in Brevi Postremo mense ad Archiep. Tarsensem, vices-gerentem, an. 1747¹. S. Congregatio Concilii alias respondit: « Filios iudeorum non esse invitatis parentibus baptizandos donec perveniant ad ætatem legitimam, et tunc si ipsi consentiant: ætatem vero legitimam regulariter censi completo septenario. » (Eod. Brev., § 52.)

Theologi, duce sancto Thoma, eadem tradunt, scilicet puerum, quando incipit habere usum liberi arbitrii, incipere simul suum esse; et posse sibi ipsi providere quantum ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis. Ea igitur ætate parvuli possunt, invitatis parentibus, fidem christianam profiteri et baptismum suscipere: antequam vero habuerint usum rationis, non sunt admittendi ad sacramentum, siquidem « obstat consuetudo Ecclesiæ, quæ semper in omnibus est æmulanda, » ait sanctus Thomas. Hujus disciplinæ duplē rationem affert: unam e periculo fidei, alteram e justitia naturali, ne laedatur jus parentum in filio, donec puer incipiat sui esse arbitrii. (2^a 2^a, q. x, art. XII.) Tertiam adjungere licet ex incommodis quæ induceret praxis contraria, animos infidelium commovendo contra Ecclesiam Catholicam, illosque ab amplectenda fide avertendo.

4º Gravis ea de re orta est quæstio: An parvuli infidelium, qui in periculo proximo vitæ constituti, vel alia occasione, baptizati fuerant, insciis seu invitatis parentibus, possent, si conva-

¹ Est aliud Breve ejusdem Pontificis, *Probe te meminisse*, an. 1751, circa jus parentum christianorum offerendi ad baptismum infantes judæos, suos ex patre præmortuo nepotes.

luerint e morbo, subduci parentibus ut, periculo perversio[n]is remoto, in vita christiana instituerentur? quæstionem, quæ nuper fuit multis occasio scandali, historice referimus, ut melius cognoscatur quibus fundamentis inniteretur disciplina Ecclesiæ in societatibus catholicis præteriorum temporum.

Ratio igitur dubii erat quod parvuli, « quamdiu ipsi sibi pro-
« videre non possunt, secundum jus naturale sunt sub cura
« parentum, » ut assentitur ipse Benedictus XIV cuius sunt
verba in Brevi citato. Exinde concludendum videbatur pa-
rentes nunquam potuisse, illæso jure naturali, privari suis
parvulis, sub prætextu baptismi a puer suscepti. Parentes
enim habent in suos filios jus, non solum proprietatis sed
etiam regiminis; ex natura enim, puerorum conservatio et
infantiae cura propriis illorum parentibus, a quibus scilicet
in lucem editi fuerunt, committuntur, donec propria voluntate
regi possint: porro, etiamsi pueri adepti fuerint septennio
usum rationis et liberi arbitrii, hactenus tamen sibi providere
nequeunt; ergo continentur sub cura parentum.

Communissima canonistarum sententia est Ecclesiam posse,
habita ratione temporum et status societatis, abducere parvulum
baptizatum a regimine parentum, quod probaverunt
auctoritate et ratione.

Prob. 4º Auctoritate concilii Toletani, S. Congregationis In-
quisitionis, et Benedicti XIV. Concilium Toletanum IV statut: « Judæorum filios vel filias, ne parentum ultra involvantur
« erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, depu-
« tatos, aut monasteriis, aut christianis viris... ut sub eorum
« conversatione cultum fidei discant, atque melius instituti,
« tam in moribus quam in fide proficiant. » Cap. *Judæorum*,
11, caus. xxviii, q. 1⁴.

⁴ Hunc canonem de filiis judæorum jam baptizatis intelligendum esse
nemo ambiget, ait Berardi, præsertim si hæc postrema verba consideret,
in fide proficiant; non enim in fide proficere potest, nisi qui fidem jam
suscepit. » *Canones Gratiani*, tom. I, cap. xvii.

S. Congregatio Inquisitionis improbat opinionem ejusdam
theologi, Calderini nomine, qui docuerat parvulos baptizatos
judæis parentibus restituendos esse, dummodo parentes in-
genue spondeant hos parvulos nihil contra fidem catholicam
edocendos, imo reddendos esse Christifidelibus, cum ad ætatem
convenientem pervenerint. Testatur Benedictus XIV hanc op-
tionem a cæteris theologis erroris insimulatam fuisse (§ 50).

Ipse Pontifex suam sententiam sic declarat: « Parvuli ju-
« dæorum nondum usum liberi arbitrii adepti, qui baptismo
« neque a parentibus, neque ab aliis qui jus in eos habeant,
« offeruntur... baptizari non debent, sed ad illos remitti,
« quorum in potestate ac fide sunt legitime constituti. Quod
« si jam sacramento initiati essent, aut detinendi sunt, aut
« ab hebræis parentibus recuperandi, tradendique Christifi-
« delibus, ut ab illis pie sancteque informentur; hic enim
« baptismi licet illiciti, tamen veri validique, effectus est. »

Prob. 2º Ratione. Jus paternum in filios est quidem naturale,
sed secundarium, non absolutum: porro, juri naturali secun-
dario derogare fas est quando cessat illius ratio, et etiam quando
in conflictu supponitur cum altero jure naturali, aut divino,
prævalente. Re quidem vera, jus de quo agimus ordinatur ad
bonum naturale puerorum; in casu autem præsenti est in con-
flictu cum jure divino quod vetat ne puer gratia cœlesti regene-
ratus, remaneat sub cura parentum infidelium cum periculo
moraliter certo profanationis sacramenti et detrimenti superna-
aturalis animæ; ergo neminem offendere debet agendi ratio Ecclesiæ,
si judicet puerum, in tali periculo constitutum, subdu-
cendum fore parentibus... Et vero, omnes consentiunt parvulos
licite posse subduci paternæ potestati quando id necessarium
judicatur ad subtrahendum parvulum periculo imminenti, seu
vitæ seu depravationis morum ex parte impiorum parentum;
ergo ex omnium consensu jus paternum in filios non est abso-
lutum sed limitatum...

Res evidentior evadit, si agatur de parvulo habente usum



rationis, qui doctrinam christianam sufficienter edoctus, libera voluntate baptismum suscipit, et ad Ecclesiam confugit ut se ipsius praesidio tutetur contra periculum conversationis paternae, et contra artes quibus a fide christiana parentes eniterentur eum retrahere. Licet ille parvulus, ea etiam aetate, indigeat cura parentum et regulariter debeat cum eis morari, nihilominus jus certum habet suae saluti consulendi, deserendo domum paternam; *quantum enim ad ea quæ sunt juris divini, incipit suæ esse potestatis*, ut verbis utramque sancti Thomæ. Lex divina baptismi et obligatio media salutis æternæ efficacia adhibendi contra pericula persionis, neutiquam pendent a lege humana quæ aetatem minoritatis et majoritatis præsumvit.

Ex argumentis adductis, quibus addi potest auctoritas plurium doctorum, non sequitur quæstionem fuisse unquam solutam supra auctoritate Ecclesiæ; siquidem concilium Tolestanum quod allegavimus est synodus provincialis cuius decretum translatum non fuit in codicem Decretalium quæ constituunt jus commune; Breve autem apostolicum directum ad vices-gerentem S. Pontificis in urbe Roma, non est constitutio dogmatica, rem definiens certa fide tenendam ab omnibus catholicis. Sequitur tamen doctrinam assertam gravissima auctoritate innixam fuisse. Maxima quidem cautione opus est in praxi, ut præcaveantur pericula objecta; sed Ecclesiæ prudenter dimititur pro locorum et temporum conditione, attentis moribus publicis et statu societatis, quid magis expedit prospicere.

Hæc non attenderunt qui judicarunt ex hodiernis moribus, et statu societatum praesenti, disciplinam quæ alias omnino mores supponit.

511. — IV. Hæretici, schismatici, apostatae, qui scilicet, baptismo suscepto, a fide catholica, vel unitate Ecclesiæ defecerunt, subjecti remanent auctoratiæ juris canonici; siquidem indelebilis est caracter sacramenti Baptismi, et indissolubile vinculum quo in societatem christianam cooptati sunt. Non in

arbitrio hominis est vinculum suæ subjectionis abrumperem. Hinc de hæreticis, de schismaticis et de apostatis multa reperiuntur in jure, quæ in IV^e parte *Prælectionum*, referentur ubi de *Delictis et Pœnis*. Ecclesia tamen magno cum moderamine utitur sua auctoritate, et communiter non intendit leges generales quas fert, in illos protendi qui a certo tempore, consummato schismate, separati sunt ab unitate catholica.

512. — II^o *Quæ sint obligationes laicorum christianorum erga Ecclesiam?*

Laici, qui Ecclesiæ membra sunt, tenentur: 1^o obtemperare canonum statutis; 2^o providere, pro sua quisque facultate, necessitatibus temporalibus Ecclesiæ; 3^o ipsi auxilio esse, pro temporum opportunitate, ut divinum quod ipsi commisum est ministerium liberius exequatur.

I. Obligatio obtemperandi legibus canoniciis et obsecundandi jurisdictioni coercitive Ecclesiæ, in controversiam minime adducitur apud catholicos; est enim fundatissimum dogma. Ex legibus autem canoniciis aliæ sunt communes laicis, clericis et religiosis, uno verbo Christifidelibus, v. g., leges de abstinentia et jejunio, de festorum celebratione, etc.; aliæ vero laicos magis directe afficiunt, v. g., decreta de impedimentis matrimonii, etc.

II. Altera obligatio, providendi nempe, ex suis quisque bonis temporalibus, necessitatibus cultus publici et sustentationis ministrorum Ecclesiæ, æque fundatur jure naturali et divino; *Christus enim ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere*, ait sanctus Paulus. Primi autem Pastores determinant suis statutis vim legis obtinentibus, modum et tempus quo divinæ ordinationi satisficer queat; de quo dicetur in III^e parte, ubi de Bonis temporalibus Ecclesiæ.

III. Quod ad auxilium præstandum Ecclesiæ spectat, ut sua jurisdictione liberius utatur, id principibus christianis potissimum demandatur. Vidimus in I^a parte *Prælectionum* (nº 66) constantem fuisse SS. Patrum et conciliorum doctrinam principes officium divinis præordinationibus sive dignitati connexum

exequi, dum curam religioni impendunt, quantum sinit conditio temporum et forma regiminis politici. Opportuissimum certe fuit nationibus christianis ita juvari concursu mutuo utriusque auctoritatis, ut gradatim deducerentur ab aetate barbariae infantiaeque socialis, ad statum illum praesentem quo merito gloriantur. Nemo dubitat quin ex illo regimine cui ultro assentiebantur populi, societas multum profecerit animorum cultu, notionibus juris tum privati tum publici, morum informatione, aliisque optimis institutis. At simul animadvertisimus maximum omnium officiorum principis in negotio religionis esse tueri libertatem Ecclesiae. Ipsa etiam aetate qua arctiori foedare utraque societas uniebatur in commune bonum, vigilabant pastores ne protectio data Ecclesiae converteretur in dominatum (nº 63). « Non-seulement les princes ne peuvent rien contre l'Eglise, aiebat Fénelon, mais encore ils ne peuvent rien pour elle qu'en lui obéissant. Il est vrai que le prince pieux et zélé est nommé l'Évêque du dehors et le protecteur des canons, expressions que nous répéterons avec joie dans le sens modéré des anciens qui s'en sont servis ; mais l'Évêque du dehors ne doit jamais entreprendre les fonctions de celui du dedans ; il se tient, le glaive à la main, à la porte du sanctuaire, mais il prend garde d'y entrer : en même temps qu'il protége, il obéit. » (*Discours pour le sacre de l'électeur de Cologne.*) Quanto magis abstinere debent principes, in statu praesenti societatis, ab omni impedimento libertati ecclesiasticae afferendo !...

313. — III^e Quæ sint jura laicorum in Ecclesia ?

I. Laici jus habent ad participationem bonorum spirituallium communium fidelibus, juxta modum pro eorumdem bonorum dispensatione ab auctoritate ecclesiastica prescriptum. Jus itaque habent recipiendi sacramenta, possunt interesse conventibus sacris, divinis officiis, etc..., modo studeant se conformare regulis canonicas.

II. Non possunt sibi vindicare jura clericalia. Vel enim hæc

jura ordinantur ad dispensationem sacrorum mysteriorum, vel ad regimen rerum ecclesiasticarum. Non possunt in priori casu, siquidem dispensatio sacramentorum et benedictionum sacerdotalium supponit characterem sacramento, aut ritu consecrationis, animæ impressum quo laici carent. Neque alia prætendere queunt ; nam, posita divina constitutione Ecclesiae, omnis jurisdictionis, in qualicumque gradu consistat, omne officium publicum administrationem rei spiritualis includens, non aliter acquiritur quam delegatione a Pastoribus accepta : porro Ecclesia prohibuit lege generali quominus laicus demandentur jura clericalia, quod in cap. 2 DE JUDICIIS, lib. II Decret., sic statuitur : « Decernimus ut laici ecclesiastica negotia tractare non presument. »

Hinc concludendum divina ordinatione requiri ut Principes saeculares, quando curas religioni impendunt, agant modo subordinato auctoritati Ecclesiae, cuius definitiones ac decreta tuentur, et executioni mandari curant. Sanctus Avitus Viennensis ad Clodoveum dicebat : *Imperator filius est Ecclesiae, non præsul; quod ad Religionem competit, discere ei convenit, non docere.* Si quid sponte propria, in rebus ecclesiasticis contra primorum Pastorum decreta princeps attentaverit, non protectorem se gerit, sed sacerdotalis auctoritatis usurpatorem.

III. Laici acquirere possunt vi rescriptorum Sanctæ Sedis, et etiam longævæ consuetudinis, legitimis conditionibus vestitæ, ius nominandi clericos promovendos ad beneficium et officium ecclesiasticum, quod concessum Principibus catholicis per concordata, item fundatoribus beneficiorum quorumdam, vidimus in I^a parte, De his iterum dicendi occasio se dabit, quando disseremus de *Jure patronatu* in beneficia.

Sunt aliae prærogativæ honorificæ attributæ aliquando magnitudibus : v. g., ut specialiter nominentur in publicis orationibus, ut sedem propriam eminentiorem occupent, ut thurifificentur atque aquam benedictam accipiant per aspergilli presentationem, de quo multa habentur in *Ceremoniali Episcoporum*, lib. I, cap. xxiii, et in *Decretis authenticis S. Congregationis Rituum*.